Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8322
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

neq̃ parentum suorum, sed respice misericordiam
tuam, quæ ascendit usq̃ ad cœlos, et maior est omni
inquinamento, et noli dispergere ab hoc homine mi-
sericordiam tuam, licet affligere ipsum permiseris
hos nequam spiritus, propter gloriam tuam manife-
standam, ut in cæco nato fecisti: aut propter peccata
purganda, ut in Dauid, aut punienda, ut in Paulo,
aut ad gratiam et meritum cumulandum, ut in Iob:
neq̃ enim uis mortem peccatoris, sed ut conuertatur
et uiuat, sicut locutus es per os sanctorum prophetarũ.
Ergo clementissime pater, per ipsam ueritatem tuã
expurga hoc uas Christiani hominis, quod tibi per bap-
tismum et cætera sacramenta deputatum est, et ne
permittas ipsum perire per malignos spiritus, sed li-
bera ipsum uas, sicut liberasti tres pueros, ne læde-
rentur in Camino ignis, per te qui uenturus es Iu-
dicare. etc.

Nunc dicat psalmum.

Memento domine Dauid, et omnis mansuetudinis eius.
Sicut iurauit dominus: uotum uouit deo Jacob.
Si introiero in tabernaculum domus meæ: si ascendero
in lectum strati mei.